

re velit : Quod utrumque cum eterno exitio fuerit conjunctum.

72. Quod si majores nostri mutilo hoc Sacramento usi sunt, postmodum verò in vera fide unice acquiescente in merito Christi Servatoris, ex hac vita decesserunt : excusari illi possunt in tantum, sed non in totum : ac proinde hoc ipsorum exemplum ad imitationem rari nec potest, nec verò debet.

73. Sua igitur natura, & per se verbum & sacramenta, propter ordinationem & mandatum Christi sunt efficacia, nec incredulitas hominum, DEI promissionem ac fidem evacuat. Rom. 3, 3. & 4. Quapropter si essentia maneat incorrupta, nihil eorum efficacia derogare potest administrantium hypocrisis & perversitas.

74. Confirmat autem suam decisionem Confessio nostra, primum autoritate scripturae, & quidem ipsius Christi, dicentis Matth. 23. 2. super Cathedram Moysis, sedent scribe & Pharisei : Quaecunque vobis dixerint, hoc facite : secundum opera verò ipsorum nolite facere. Vbi egregia ἀντιθέσει Servator ijs obediendum esse docet, quatenus sedent in cathedra Moysis : contra verò rejicienda ea, quae ipsi de suo Legi admiscebant.

75. Altera confirmationis ratio est, quòd sacramenta ritè & secundum institutionem Christi administrata, salvis manētibus partibus eorum

B b 4

essentia-